

**Disputatio inauguralis medica de morsibus et puncturis animalium ... /  
[Johann Kaspar Witzel].**

**Contributors**

Witzel, Johann Kaspar, active 1675-1676.  
Université de Strasbourg.

**Publication/Creation**

Argentorati : Literis Joh. Friderici Spoor, 1676.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ctexxuw5>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

14

DISPUTATIO INAUGURALIS  
MEDICA  
*DE*  
**MORSIBUS**  
**ET PUNCTURIS**  
**ANIMALIUM,**

*Quam*  
REI MEDICÆ AUTHORE DEO TRINUNO  
adjuvante

DECRETO ET AUTHORITATE  
**MAGNIFICI, NOBILISSIMI & AMPLISSIMI**  
**COLLEGII MEDICI,**

IN CELEBERRIMA TRIBOCORUM UNIVERSITATE,

*Pro*

**LICENTIA**

Summos in Arte Medicâ Honores & Privilegia

Doctoralia legitimè & solenniter  
consequendi


publico placidoque PHILATRORUM

Examini subjicit

**JOHANNES CASPARUS Biebel**

Meno - Francofurtanus.

*Ad D. 2. Sept. boris locog̃ solitis.*



**ARGENTORATI,**

Literis JOH. ERIDERICI SPOOR.

ANNO MDC LXXVI.

INCÆUTÆ AC LIBERÆ  
IMPERIALIS REIPUBLICÆ  
FRANCOFURTENSIS AD MOENUM  
*MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS  
ET AMPLISSIMIS*

DN. PRÆTORI  
DN. HIERONYMO PETRO  
von Stätten /

DNN. CONSULIBUS  
DN. PHILIPPO CHRISTIANO  
Lerßnern /  
DN. HENRICO LUDOVICO  
Lerßnern /


DNN. SCABINIS,  
SYNDICIS,  
SENATORIBUS,

PATRIAEC PATRIBUS

VIGILANTISSIMIS,  
DISPUTATIONEM HANC INAUGU-  
RALEM MEDICAM

SUBMISSE CONSECRAT

JOHANNES CASPARUS Wiegel /  
MOENO-FRANCOFURTANUS.


**DISPUTATIONIS INAUGURALIS  
DE  
MORSIBUS ET PUNCTURIS  
ANIMALIUM.**

**CAPUT PRIMUM**

*Nominalem Definitionem ex-  
plicans.*

 Nter affectus , qui periculosi & δυσίανι , morsus & puncturæ animalium , præprioris venenatorum , postremas neutiquam sibi vendicant partes ; de his cum hoc loco agere sit animus , ne ἀμερόδως id fiat , & ut omnis error præcaveatur , methodo receptâ procedimus , considerantes ὄνοματολογίαν & περιγραφατολογίαν , subjectum , causas & differentias , cum signis & curatione .

Nomen igitur quod spectat , quanquam quidam in eâ sint sententiâ , parum in eo situm esse , testimoniumque afferant Galen . l . 1 . Metb . med . c . 7 . & l . 11 . m . m . c . 12 . cum tamen nomina sint τῶν περιγράφων symbola , necessariam ducimus illorum enucleationem , non repugnante Gale- no , siquidem expressè l . 13 . simpl . c . 12 . inquit , perturbatum nominum usum rerum quoque perturbare notitiam , & nominibus confusis , rerum etiam notitiam confusam esse .

**O**nomatologia tria includit, Etymologiam, Synonymiam & Homonymiam. Etymologiam vocabuli *Morsus* quod attinet, derivatur à Mordeo, quod idem est ac dentibus lædo. Synonymiam quod spectat, dicitur quoque morsura, quo vocabulo veteres nonnulli sunt usi, verum apud eos, qui puritati student, vocabulum morsus magis est in usu. Homonymiam seu ambiguitatem vocabuli quod concernit, accipitur variis modis: Primò pro dolore & ægritudine: Hinc *Cic. ad Attic. l. 13.* Valdè me momordunt epistolæ tuæ de Atticâ nostrâ; & Latinus Interpres aphor. *Hipp. f. 4. §. 65.* In febris circa ventriculum vehementis æstus & stomachi morsus, malum. Secundò sumitur pro detractione, invidiâ, uti ex *Terent. in Eunuch.* apparet; Invidere omnes mihi, mordere clanculum, ego non floccipendo. Tertiò pro morsu aliquo parvo, morsuncula, ex amore, ubi nulla adest contiuui solutio, apud *Plaut. in Mil.*

*Compressiones arcte amantium comparē  
Teneris labellis, molles morsunculae.*

Nostra autem disputatio de his morsibus non est sollicita, uti perspicue ex titulo apparet, sed de his calamitatibus & molestiis, quas animalia tam venenata quam veneni expertia inferunt, & morsus & puncturae nomine veniunt. Puncturarum nomen quod concernit, derivatur vocabulum à pungendo, verbi pungo pungere, quod vocabulum etiam per translationem de animo dicitur: Hinc rursus Cicero: Epistola ita me pupugit, ut somnum mihi ademerit; & alibi *l. 7. ad Trebat.* pungit me rursus quod scribis esse te istic libenter. Vocatur alias quoque ictus, punctio, punctiuncula, punctiuscula: Hinc *Seneca de ira l. 3.* Magis ignosco ei qui vulnus inimici, quam qui punctiusculam concupiscit.

CA-

*Realem definitionem proponit.*

**M**orsus & puncturæ quid sint, & quomodo definiantur, diligentiori nunc indagandum scrutinio, quoniam minalem definitionem realis sequitur. Et quanquam nonnulli sint, qui de morsibus animalium in libris suis egerunt, nemo tamen illorum de exhibendâ formali & reali definitione fuit sollicitus, excepto unico (quem sciam) *Sante Ardoyno*, qui *lib. 5. c. i. de morsur. animal.* illam tradidit, quæ etiam palato nostro ita arridet, ut non dubitemus illam nostram facere. Est autem illa talis: *Morsus est solutionem continui, ore & præcipue dentibus facta.* Diximus igitur esse solutionem continui, nec immerito, cum enim partes quæ secundum naturam unitæ debebant esse, à se invicem sint solutæ, nemo negabit unionis solutionem. Solutio autem illa continui comprehendit tum contusionem seu attritionem à dentibus, vel iis quæ his respondent, factam, tum verum vulnus ab illis inflictum. Notandum autem quod *διάστασις* in aliis morsibus magis, in aliis minus adsit, imò interdum sensu vix perceptibili: Occurrimus hâc distinctione objectioni, ultrò se ingerenti, quod non semper videatur, vel obscurissimè saltem videatur, continuatis solutio. Porrò diximus esse solutionem continui, ore & præcipue dentibus factam; dantur enim animalia, quæ ore seu gingivis potissimum, quas præduras & scabras habent, partem cui adhærent, sic arctè constringunt & mordent, ut venenum suum in partem, totumque inde corpus, per apprehensæ partis poros transmittant, licet dentibus non sint prædita; exemplum habemus in rubetis seu bufonibus, qui dentibus carent, & tamen ore damnum

homini inferunt. Quid sit punctura, *Santes Ardoynus loc.*  
*ante à citato quoque refert.* Est, inquit, punctura solutio  
 continui à re multum acutâ (ut est aculeus vespæ, vel apis,  
 & scorpionis) qualicunque (addo punctim) facta.

## CAPVT TERTIVM

### *Subiectum explicat.*

**C**Orpus humanum animalium morsibus & puncturis es-  
 se obnoxium, non indiget prolixâ argumentorum se-  
 rie, quæ verò partes in morsibus & puncturis venenatis præ  
 cæteris afficiantur, diligentius inquirendum. Quorundam  
 ea fuit opinio, omne venenum morsi inflictum primò  
 cordi esse inimicum, illudque statim petere: Verùm sicut  
 aliàs non omnia animalium venena antipathiam peculia-  
 rem primùm cum corde habent, & illud statim occupant,  
 sed alia aliis à naturâ pernitiale bellum indixerunt parti-  
 bus, sic in animalium morsibus eadem videtur observari  
 varietas. Certè virus caninum, cordi & cerebro præpri-  
 mis dicitur inimicum, lepus marinus pulmonibus, Cen-  
 thris serpens jectori & intestino jejuno & colo uti *Dioscorid.*  
*I.2. c.52.* habet, Cantharides vesicæ, torpedo manibus &c.  
 Dicimus ergò locum affectum in morsibus præprimis &  
 puncturis venenatis non esse unicum, sed plures, omnes ni-  
 mirum partes principes, modò cor, modò cerebrum, mo-  
 dò jecur. Cor enim affectum esse, leipotymia, palpitatione  
 cordis, anxietas, inquietudines, subita & repentina inter-  
 dum mors, aliaque symptomata, quæ non nisi corde affe-  
 ctio fieri possunt, demonstrant. Cerebrum occupari, quan-  
 quam in aliis magis, in aliis minus, furor & insania deno-  
 tant. Jecur laborare, obstrukciones, icterus, quæ non raro  
 de mortis supervenit, ostendunt. Consecutivè partes cor-  
 poris

poris reliquæ, imò universa complexio ac moles humorum in corruptionem trahitur, totumque corpus, quòd symptomata quæ seqvuntur satis superque probant. Cor interim vix unquam immune esse, ubi venenum penetrat in corpus, facilè intelligit, qui venenorū naturam cordis œconomiam, & quæ hausta venena consequuntur symptomata, sibi revocat in memoriam.

## CAPVT QVARTVM

### *Causam considerat.*

Morsuum & puncturarum causa est animal mordens vel pungens: Proxima autem & immediata causa mortuum sunt dentes, vel quæ his respondent. Dentes quamvis homini, animali secundum Galen. l. II. de us. part. c. 18. politico & mansuetō, principaliter ad esculentorum comminutionem & vocis articulationem sint dati, nec ut armorum vice utatur sicut bruta, sæpè tamen contingit, ut noxam homo homini dentibus inferat. Pueri certè irâ accensi non rarò mordent à quibus fuerunt offensi: Obvios etiam sæpè dentibus impetunt Phrenetici, Maniaci, à cane rabie correpto demorsi. Feris autem præcipue etiam ad invadendum & ad defendendum dati, hanc nocendi vim à naturâ, ut instrumenta acceperunt. His autem quandoque quasi cæsim per incisores dictos vulnerant, quandoque frangunt per caninos, quandoque atterunt per molares: quandoque & incisio & attritio & fractura satis est evidens. Dentibus respondent gingivæ præduræ & asperæ; ut supra notatum; item maxilla amissis dentibus & obliteratis alveis in circuitu acutior facta & durior in senibus, item unum os pro superiori ordine dentium æqualiter extensum, quale Prusia Regis Bithynia filio fuit, teste Valer. Maximo

I.I.c.8. Pyrrho Epirotarum Regi, teste Plutarch. in vita ejus,  
 aliis, quos notatos vide ap. Job. Anton. van der Linden Me-  
 dic. Physiol. c. 13. art. 3. Schenck. observ. Medic. c. d. dentibus  
 Thom. Bartbol. Anat. reform. l. 4. c. 12. Et hist. anatom. Cent.  
 1. hist. 35. Nec non rostrum avium, quod sive aduncum, sive  
 latum, sive aliter formatum, illæ pro labiis & dentibus à  
 providâ rerum naturâ acceperunt, cum dentes nulli volu-  
 crum, præter vespertilionem notante Plinio hist. nat. l. XI.  
 c. 37. Denique acies pinnarum piscium quorundam, ut in-  
 frà notabimus. Puncturarum proxima & immediata cau-  
 sa est aculeus, quem in partem mollem adigunt illo armata  
 animalcula. Cum verò malignitatis multum in se habeant  
 plurium animalium morsus & puncturæ, per hos venenum  
 partibus læsis communicari, nobis cum majori parte Me-  
 dicorum est verosimile, illudque pervenas, arterias, ner-  
 vosque, tum mediante illâ Hippocratis ξυποία καὶ ξυμποία  
 in universum corpus diffundi, horrendaque excitare sym-  
 ptomata, quæ nullâ manifestâ qualitate possunt deduci.  
 A communicato veneno deducimus illa; 1. quia si excessus  
 qualitatis manifestæ esset causa illorum, necesse esset eun-  
 dem vel intensiorem ejusdem qualitatis gradum in aliis  
 rebus eundem edere effectum, quod experientia redar-  
 guit. 2. Non opus esset medicamentis à totâ substâtiâ, ut  
 Medici loquuntur, agentibus, curationem adornare, quo-  
 rum occultas proprietates & agendi modum nemo mor-  
 talium capere potest: v.g. si quis ab hæmorrhoo demorsus  
 ex omnibus corporis meatibus imo poris prorruptionem  
 patitur sanguinis; vel si quis à Tarantulâ demorsus admi-  
 rando saltandi desiderio tenetur. Horum effectuum cau-  
 sam malè dixeris caloris exsuperantiam: Cur enim non su-  
 perveniunt affectibus, in quibus summi caloris indicia, lin-

guæ siccitas, asperitas, nigredo, oris, gulæ, ventriculi ardor, sitis maxima &c. Malè quoque frigoris excessum, cur enim nil tale videoas in affectibus frigidissimis. Ita nec à siccitate, nec ab humiditate: Nulla etiam harum qualitatum opposita affectus similes expugnabis. Agnoscimus E. veneni occultam proprietatem, æquo animo ferentes, quod quidam potent, hac nos ratione ad ignorantiae asylum confugere: Pridem enim ex Scaligero didicimus; *Nos in tenui rerum luce caligare, in mediocri cecutire, in majori cœcos esse, in maximâ prorsus insanire: & boni viri esse, quædam æquo animo velle nescire.* Qui hodiè sedulò & curiosè, plenè & planè perquisivisse omnia videri volunt, discant vel Scaligero duce, nos umbratili intellectu nostro omnia exactissimè, clarissimè ac distinctissimè capere posse, velle nobismet ipsis persuadere, esse insignis arrogantiæ: quem fugit Galenus non semel fassus sibi hærere a qua, fugit Hippocrates agnoscens in morbis θεο?

## CAPUT QUINTUM *Differentias exhibet.*

**M**orsus animalium sunt duplices, alii enim sunt venenati, alii verò minimè. Venenati dicuntur, qui à virulentis bestiis inferuntur, cujusmodi sunt Aspis, Dipsas, Natrix, Vipera, Hæmorrhous, Basiliscus, Tarantula, Amphisbæna, Scytale, Cenchris, Dryinus, Draco, serpentes quidam nostrates, canis rabidus aliaque animalia rabida & similia. Differunt autem hi morsus venenati multis modis: Primo ratione subjecti, experientia enim testatur unum idemque animal hunc citius illum tardius, hunc intra diem, illum intra 4.1.6. dies morbu jugulare. Sæpè qui uno eodemque tempore morbu animalis ejusdem læsi, diversis tamen tem-

poribus extinti fuerunt, quia ad omnem actionem patientis dispositio requiritur, & actio non recipitur per modum imprimentis, sed per modum subjecti recipientis; hinc vi-deas imbecilla corpora citius, firma & robusta tardius veneno necari: Hinc senes citius veneni vi succumbunt quam juvenes, quoniam in illis magna jam facta est calor nativi imminutio, facillimè igitur quod superest à veneno potest extingui, cum contrà vegetus ille juvenum calor veneno fortius resistat, nec ita facilè ab illo sese destrui patiatur. Quod de senibus dictum fuit, idem quoque de tenerâ ætate, omnibusque quibus corporis *ἀρθροις* & valetudo minus est firma, intelligi debet. Secundò differunt ratione causæ, non enim in omnibus animalibus idem venenum est, sed non tantum in hoc vehementissimum & perniciosissimum, adeò ut unâ tantum horâ sapienter hominem conficiat, ut in Aspide, Ceraste, videmus, in aliis verò minus vehemens, ut in Viperâ, in aliis denique his longè imbecillus, ut in Scorpione, Cane rabido; sed & in uno eodemque animali alio atque tempore venenum majorem minoremve habet activitatem: Sicut videmus hyemali anni tempore serpentum venenum tam violentum non esse ac ætate, quo tempore exaltatum quasi videtur. Imò formâ & specie differunt, unde tam varii effectus, & horrenda quandoque phænomena. Unde tertio differunt ratione supervenientium symptomatum, alii enim convulsiones, deliria, saltandique libidinem inducunt, alii mæstitiam timiditatemque pariunt, alii dolores vehementissimos, inflammations, icterum, febres, excitant, alii alia. Cur autem in aliquibus hoc vel illud symptoma magis producatur, in aliis non, ex patientis ratione vel agentis fieri puto, pro ratione scilicet fortitudinis vel imbecillitatis.

Quar-tò

tò ratione locorum, quæ enim feræ arentium, montosorum & sole perustorum locorum indigenæ sunt, promptius interimunt, quam quæ humidorum & palustrium, quod quoque *Aristoteles l. 8. c. 29. de hist. animal.* testatur. Quintò ratione moris, in allis enim venenum nunc tardius nunc citius se se exerit, & non solum menses, sed & totos interdum annos in corpore nostro latet; exemplum illius quod tardius sese exserit, habemus in cane rabido, cuius venenum raro ante vigesimum diem sese prodit, interdum post trigesimum, ita multis nonnisi post 4. sex aut octo menses, in quibusdam etiam post annum, uti *Fracastor. l. 2. de morb. contag. c. 10.* scribit. Testatur id quoque *Albertus Magnus l. 7. hist. animal. c. 2.* ubi se vidisse hominem scribit, demorsum à cane rabido, cui anno septimo post locus cicatricis in flaminari incepit, ita ut intra duos dies vitam cum morte commutare fuerit coactus. Contra verò non ita post longum intervallum vim suam ostendunt serpentes, Dipsas, Vipera, Natrix, Aspis, quam primum enim hi momordent, illorum venenum à demorsis miserrimè sentitur, & symptomata statim accidunt gravia.

Porrò non Venenati morsus dicuntur, qui ab animalibus non ita virulentis imprimuntur, cuiusmodi sunt canis domesticus, felis, simia, homo ( fallitur enim & fallit *Plinius quando l. 11. hist. Nat. c. 37.* scribit hominum dentibus inesse quoddam virus ) ursus, asinus, sues tām domesticæ quam sylvestres, equus, leo & id genus alia. Posset autem quis in dubium vocare, an equi, asini, ursi vel leonis morsus non sint venenati? Credunt id nonnulli, ob gravissima quæ pariunt symptomata, præcipue autem quod plerumq; in gangrenam & sphacelum terminentur. Sed dixerim morsus horum animalium per se non esse venenatos, sed

per accidens tamen fieri posse, si nimirum rabie corripiantur; venenati enim per se si essent, parva vulnera non minus ac magna periculosa essent, quemadmodum in morsibus serpentum, canis rabidi, aliorumque animalium fieri videmus, ubi minimum quidem vulnus, si parum neglectum fuerit, mortem inferre potens est. Quod autem symptomata iis superveniant gravia, exinde fieri puto, quod animalia ista tanquam robustissima, vim habeant maximam contundendi & conterendi musculos, venas, arterias, imò & ipsa interdum ossa, unde dolor maximus, inflammatio, quæ pedis lequa doloris, & tandem gangræna vel sphacelus. Possimus interim largiri ambabus manibus, esse aliquid in omnium ferarum etiam non venenatarum morsibus magis dolorificum & cacoëthes, quam in communibus vulneribus ab aliis caussis inflictis. *Paræus l.20. c.9.* credit, quod aliquid in eorum salivâ & sanie insit naturæ nostræ inimicum, quod malignam ulceri qualitatem inuitit. Cæterum hi morsus non venenati varie quoque differunt; alii enim magni, alii parvi sunt; in aliis arteria læsa, vel nervus, vel vena, in aliis minimè; his symptomata superveniunt gravia, ut gangræna, convulsio, sphacelus, illis non; alii cum fractura ossis fiunt, quod robustiora illa animalia ut plurimum faciunt, aliis minimè; & quæ differentiæ possunt esse plurimæ: sufficient istæ.

Puncturarum differentias breviter quoque considerabimus. Possunt autem illæ quoque duplices dici, nimirum vel venenatæ, vel veneni expertes. Venenatæ sunt, quas animalia venenata induxerunt, ut scorpii, phalangii &c. Non venenatæ, quas animalia veneni expertia inflixerunt, ut apes, muscæ &c Posset autem hic quoque controversia agitari, ad quamnam scilicet classem vesparum

pun-

puncturæ sint referendæ, an ad venenatam vel non? Si Hildano viro alias fide digno credere volumus, minimum illud insectum maximum venenum in se continere comprehendemus; scribit enim *obs. 77. cent. 4.* de matronâ aliquâ, quæ cum punctionem circa carpum à vespâ accepisset, non solum in lipothymiam incidit, sed & die sequenti epidemidem per totum corpus separatam sensit, quod absque veneni præsentia accidisse, nemo dixerit. Quid igitur statuendum? Anne vespæ vel earum puncturæ pro venenatis habendæ? Dico quod non; venenatae enim si essent, talia quoque symptomata semper producerent, quæ anima-  
lia venenata, quod tamen minimè vel raro fieri, experien-  
tia quotidiana docet; singulis enim diebus rustici earum punctiones patiuntur, qui tamen neque in lipothymiam incidunt, neque epidemidem amittunt, neque alia symptomata quæ puncturas venenatas sequuntur, sentiunt. Dicimus igitur aut vespam illam alicui rei venenatae in-  
cidisse, quod talia symptomata sint secuta, aut aliquam rem  
venenatam planè comedisse, quod interdum fieri, *Plinius*  
*L. 11. c. 53.* testatur. Reliquæ puncturarum differentiæ in  
morsuum differentiis videri possunt & elici, mittimus igitur B. L. ad illas. Hoc addendum, quod alia animalia no-  
ceant aculeo, quem in ore gerunt, ut muscæ, vel in caudâ,  
ut scorpius terrestris, pastinaca marina, vel in pinnis, ut  
piscis quidam *Forestus obs. 34. l. 6.* se hominem vidisse asse-  
rit, qui cum in mari nataret, & piscis ille acanthius mari-  
nus dictus clam jaceret, ad ejus pinnas venenosas cum di-  
gitum pedis offendisset, tanto dolore afficiebatur, ut ho-  
mo ferè insanus exinde factus sit: Vel in aliis corporis par-  
tibus, ut scorpius marinus, qui teste *Rondelatio de pesc. l. 6. c. 19.*  
tot aculeos habet in capite, ut sine noxâ ferè tractari non

possit, & in dorso quoque spinam venenatam gerit: ut & scorpæna aliique pisces.

## CAPUT SEXTUM

*Signa Diagnostica perpendit.*

**E**legans est sententia Hipp. lib. de Medico, ubi solus is, inquit, qui signorum cognitionem habuerit, ritè curationem adgreditur. Ut igitur monitum tanti viri observemus, signa morsuum & puncturarum diligenter examinabimus. Signa morsus vel puncturæ interdum satis manifesta, impressa vestigia dentium vel aculei: interdum obscuriora, deficiente etiam relatione ægrotantis, si v.g. ægro somno sopito punctura accidit. Semper autem per signa cognoscendum an morsus vel punctura veneni particeps. Morsum venenatum esse, partim ex ægri relatione, partim ex supervenientibus symptomatis innotescit: Ex ægri relatione, si fatetur à talibus animalibus morsum provenisse, quæ venenata sunt. Ex supervenientibus symptomatis, si ista accedunt symptomata, quæ aliis venenis supervenire solent: v.g. quando pars læsa statim intumescit, inflammatur, dolore gravissimo corripitur, aut ejus color naturalis perit aut mutatur, nigricat scilicet vel livet, laborans gravibus molestiis angitur, lipothymia vel convulsione corripitur, & alia accedunt symptomata, quæ venenis sumptis supervenire solent. Cum autem neque hoc sufficiat, scire morsum vel puncturam esse venenatam, cum quodlibet venenum promptius proprio suo alexipharmaco expugnetur, ideo operæ pretium, cujusque ictu vel mortu communicati veneni, signa in promptu habere, tradita nobis à *Dioscoride*, *Paulo*, *Aëtio* aliisque. Ab Aspide igitur ut incipiamus, serpente longè venenatissimo, de quo etiam

omnes

omnes ferè scriptores primò tractant, sciendum demorsis ab illo supervenire capitis gravitatem, oculorum caliginem, sensuum hebetudinem, stuporem, somnolentiam, faciei pallorem, corporis refrigerationem & id generis alia, quæ apud auctores fusius descripta, videri possunt. Hoc autem notandum, quod exiguum infligat vulnus, quod omnem ferè oculorum aciem effugit, imò & illud, quod morsu suo dolorem ferè nullum excitet, adeò, ut sicut *Galen. de Tberiac. ad Pison. c. 8.* refert, Cleopatra Ægypti Regina maluerit (periculo prius facto in ancillis, quarum ministerio ad corporis cultum utebatur) se aspide quam alio veneni genere interimere. Vid. *Ælian. bistor. Animal. l. IX. c. 23.* ubi mortem ex aspidis ictu plenam lenitudinis æstimatam notat, quod & confirmat *Galen. loco citato in fin. cap. addens*, se sàpè in magnâ Alexandriâ spectasse, cum aliquem condemnatum sine longa dilatione & cruciatu necare vellent, aspides pectori admovisse. An frigidæ vel calidæ si temperie, valdè controvertitur. Dipsadis morsus cognoscitur ex eo, quod magna siccitas & inflammatio, non internarum tantum sed externarum quoque partium adsit, unde intolerabilis atque inextinguibilis sitis, adeò, ut quamvis æger indesinenter bibat, nullum tamen inde sentiat levamen, sed more hydropicorum, quo plus sunt potæ, plus sitiantur aquæ: Quia tamen omnes meatus & ita urinarii quoque exsiccantur & constringuntur, largissimus ille potus per urinam exire non potest, sed distribuitur per venas in totum corpus, unde illud adeò intumescit, ut inguina rumpantur, ægerque sitibundus moriatur.

E Vulnere à Natrice inficto, primò sanguis purus exit, post sanies multa, cutis fit arida, pustulæ emergunt lividæ,

vidæ, oculi caligant, bilis vomitu rejicitur, vertigo ingruit, dolor mutat locum. Sortitur serpens iste secundum loci quem in habitat diversitatem, diversa quoque nomina: Hyeme enim quando in stagnis & paludibus degit, Hydrus vocatur, æstate verò & autumno siccā terram inhabitanter, Chersydros dicitur, & atrociora infert symptomata, quando terræ incola. Signa quibus viperarum morsus cognoscuntur, sunt sequentia, juxta Paracel. lib. 20. c. 16. Dolor pungens statim oboritur, pars in molem attollitur amplissimam, indeque universum corpus, nisi occurratur, exnudat è vulnere crassa & cruenta sanies, surgunt in ambitu vesiculae, quales ab ambustione fieri solent, crebrâ syncope prehenduntur ægri, cum sudore frigido, mortis prænuntio, nisi partibus nobilibus antequam illas venenum invaserit, remediis opportuniis consultum fuerit.

Porrò ab Hæmorrhoo aliquem demorsum esse, pathognomonicum signum est sanguinis profluvium, ille enim non solum, per vulnus inflictum, sed per omnes quoque corporis partes excernitur, per vias tamen consuetas, ut hæmorrhoides, nares, uterus, quam inconsuetas, ut aures, oculorum angulos, dentium gingivas, unguium radices, per os, vomitum, tussim, alvum, imò per omnes corporis poros atque meatus. Quæ omnia, quoniam *Lucanus l. 9. Pbarsal.* elegantissimis versibus expressit, non potuimus committere, quin illos hic insereremus, sunt autem seqq.

*Impressit dentes hæmorrhoidis aspera Tullo,  
Magnanimo juveni, miratorique Catonis,  
Utque solet pariter, totis se effundere signis  
Coryci pressura croci: sic omnia membra  
Emiseré simul rutilum pro sanguine virus.  
Sanguis erant lacrymae, quecumq; foramina novit*

*Humor, ab his largus manat crux, om redundant*

*Et patulae nares. Sudor rubet, omnia plenis*

*Membra flunt venis, totum est pro vulnere corpus.*

Morsus Basilisci signa sunt hæc: maxima oritur totius corporis inflammatio, pars affecta flavo tingitur colore, pili deflent, caro liquecit & frustillatum decidit, morsusque brevi temporis spatio vitam finit, uti *Sennert. l. 6. part. viij. c. 12.* testatur. Notandum autem Basilisci nomine, duo animalium genera apud autores venire; unum quod è serpentum genere, quod agnovit *Galenus, Aëtius, Avicenna,* aliquique Medici, de quo jam diximus, & signa ista intelligenda sunt, alterum avis genus, quod ex ovo galli gallinacei provenire creditur: tale, an in rerum naturâ existat vel unquam existiterit, eleganter *Excell. Strausius M. D. & Profess. in alma Ludoviciana celeberrimus, Patronus & Hospes quondam noster perpetuâ gratitudine prosequendus in suo tractatu de ovo Galli ostendit.*

Tarantulæ morsus ex sequentibus dignoscitur signis. Quidam perpetuo canunt, alii rident, flent, alii clamitant, alii premuntur somno, ut vix excitari possint, alii contrâ perpetuis vigiliis distrahuntur, alii vomunt, saltant alii, sunt qui sudent, tremant, obstupescant, alii aliis doloribus crificantur & delirantibus similes efficiuntur. Quod si autem hæc symptomata admiranda sint, non minus curandi ratio admirationem quoque merebitur, sola enim ferè musica vim habet mutandi hoc malum, uti infrâ ostendemus.

Morsui Amphibænæ & Scytales ea contingunt symptomata, quæ viperæ morsibus. Item morsui Cenchræ, quamquam huic graviora, sequuntur enim illum putrefactiones & carnium defluxus, uti *Aëtius c. 27. serm. 13.* habet.

**A**Dryino demorsis illa ferè supervenient symptomata, quæ morsui natricis supervenire solent.

Morsum Draconis mitiora sequuntur symptomata, imò credunt multi, illos nihil veneni in se continere, alii verò veneno non carere illos asserunt, præprimis in regionibus calidioribus. Si *Lucano* credere volumus, dracones in illis regionibus erunt venenati, cecinit enim lib. 9. ita:

*Vos quoque qui cunctis innoxia numina terris  
Serpitis, aurato nitidi fulgore Dracones,  
Pestiferos ardens facit Africa.*

Dracones, quoniam plurimis regionibus ignoti, ideo forsan veneni eorum natura non satis explorata. Diversa prorsus signa proponunt *Abicenna* & *Nicander* in *theriacâ*, ut notat *Ulyss. Alrovand. bistor. serp. & Drac. l. ii. c. i.*

Serpentes in Germaniâ nostrâ quando mordent, oritur in loco affecto tumor, dolor & calor insignis, sanguis primò purus, post saniosus & graveolens exit, facies flavescit & livida est, reliquaque accidentia symptomata, quæ peregrinis, mitiora tamen & leviora. Signa & symptomata morsus canis rabidi, alia propria sunt, alia communia. Propria sunt, quod homo fiat cogitabundus, meticulosus, solitudinem captet, hominum societatem fugiat, lucem odio habeat, canum ritu latret, tandemque aquam expavescat & horreat; unde antiqui missis aliis symptomatibus hunc affectum hydrophobiam appellantur: Verum non solum ab aquâ abhorrent, sed & ab aliis liquidis, vino, jusculis. Communia signa sunt delirium, motus convulsivi, febris, &c.

Quoniam autem cognosci debet, num canis, qui vulnus infixit, rabie correptus fuerit nec ne, canis rabiosi indicia breviter quoque ostendemus. Illa autem nobis

exhibit Galen. lib. de Tberiac. ad Pison. his verbis: Si audieris canem, qui aliquem momorderit, gracilem corpore & siccum, oculis rubentibus, caudâ demissâ, spumâ ex ore fluente, præterea linguâ foras porrectâ & tanquam bile coloratâ, obvium quemquam insiliisse, citra causam currisse, deinde rursus subito consistentem cum irâ quādam magis furenti non ipsi prævisos momordisse, hoc inquam, si in eo sic habere audieris, statim rabiosum canem fuisse intelliges. Sed quæreret aliquis, an alia quoque animalia præter canem in rabiem agi possint? Negat id Galen. l. 6. de loc. aff. c. 5. Verūm experientia ipsi reclamat, notissimum enim est, non solum canes, sed & lupos, equos, feles, sues, boves &c. rabie corripi. Dicendum igitur, ut Galeni authoritas conservetur, mentem forsan fuisse, canes cæteris animantibus rabiei magis esse obnoxios, id quod à veritate non alienum. Nonnulli si incerti sunt de rabie & veneno animalis, sumunt frustum panis, imbuunt cruxi vulneris, & animali sano illud porrigunt, quod comestum, si ei symptomata quæ supervenire solent, non intulerit, rabiei & veneni illud expers pronuntiant.

Et hæc sunt signa & symptomata morsuum venenatorum præcipuorum.

Non venenati cognoscuntur, si animal quod momordit non venenatum, si ex prædictis symptomatibus nulla adsint, vel leviora saltem, ut inflammatio, dolor, &c. Febris autem his morsibus non raro superveniunt, item gangrena & sphacelus, uti dictum.

Puncturarum signa & symptomata nunc quoque tradenda. Ab animalibus autem venenatis, ut rursus quoque incipiamus, primas scorpioni dabimus. Horum cum sint varia genera, quæ apud Grevin. de ven. l. 1. c. 14. videri pos-

sunt, accidentia quoque procreant dissimilia. Plerumque autem sequentia adsunt symptomata : Acerbissimus non solum in parte affecta, sed & in toto corpore exoritur dolor, locus referente *Paul. l. 5. c. 8.* incipit inflammari, rubet, nunc fervor, nunc frigus vicissim invadit, sudor ipsos comitatur, tremor, extremorum perfrictio, pili rigent, cutis fit discolor, se grandine percussos ægrotantes putant, uti *Galen. l. 3. de loc. aff.* habet : prætereà ipsos nervorum contractio comitatur, unde subsequitur risus Sardonius vulgo dictus, hoc est coactus, qui fit, quod nervi ad suum principium sese retrahant, & quæ id generis alia, quæ apud scriptores passim reperiuntur.

*Phalangii punctura vix conspici potest, inquit Aëtius c. 8. serm. 13.* frigiditas adest circa genua, lumbos ac scapulas, universum corpus intumescit, quibusdam urinæ emittendæ difficultas adest, cum pudendi tentagine & dolore, si verò minixerint, aquosæ ipsorum sunt urinæ, quædam aranearum textis similia in se habentes, uti *Aëtius l. c.* refert. A scorpione marino qui fuerint icti, molestos cruciatus sentiunt, accidunt & interdum convulsiones & lastitudines referente *Sennert. l. 6. p. 8. c. 42.*

*Pastinacæ marinæ ictum* sequitur dolor in parte læsâ vehemens, caro circa plagam nigrescit & stupet, quæ si digitis comprimatur, saniem emitit atram, crassam, & male olentem, uti *Sennertus ibidem* testatur.

Ictum apum & muscarum in parte affecta sequitur dolor vehemens, qui tam diu durare solet, donec aculeus relictus exemptus fuerit : relinquit autem plerumque stimulum apis, non vespa, uti *Matthiol. l. 6. c. 41.* scribit. Hos autem quos vespa pupugit, eadem concomitantur, sed intensiora, præprimis si anteà cadaveribus venenatorum,

animalium insederit, aut, quod *Plinius l. 11. c. 53.* testatur, serpentibus planè vicitarit.

## CAPUT SEPTIMUM

### *Prognostica refert.*

**I**Ngenua videtur confessio *Galen. comm. 3. in progn. Hipp. text. 41.* Nunquam errare in prædicendo suprà captum hominis est, quām minimum errare, artificis solius. Hanc nostram facimus, enarraturi prognostica in morsibus & puncturis animalium. Omnes autem morsus qui à veneno animali sunt inficti, longè graviores & periculosiores sunt illis, quos animalia non venenosa induxere. Et quamvis morsus venenati interdum si t. exigui, mortem tamen afferre possunt, cum aliàs non venenati, quainvis magni sanari possint, symptomata enim non ita gravia sunt & contumacia, veluti in morsibus venenatis, ubi optimis remediis adhibitis sæpiissimè non cedunt. Cæterùm quoniam signa Diagnostica peculiaria deditum, prognostica quoque quod & alii fecere, trademus, incipientes ab Aspide, quæ quoniam perniciössimum venenum habet, quām citissimè hominem interficit, ut ejus morsus ferè insanabiles habeant: Est tamen quædam differentia pro diversitate aspidum, quam designat *Galen. l. de theriac. ad Pison. c. 8. Aëtius serm. 13. c. 20.* tale prognosticum sistit, si scire velis an victurus sit percussus, centaurium cum vino bibendum præbeto, si evomet pharmacum, morietur, si non, vivet. Dipsas licet non tam citò veluti Aspis enecet, morsum tamen periculösum infert, urinam enim ægrotantes excernere nequeunt, quæ in totum corpus diffusa illud intumescere facit, ut sæpius circa inguina rumpatur, ægerque siti-bundus moriatur.

Natrix morsu magis nocet, quando terram occupat, quam dum in aquis commoratur, & scribit *Elian. l. 8. de animal. c. 7.* Chersydri venenum ita perniciosum esse, ut is qui mortuum saltem attigerit, statim intereat. Vipera medium quasi inter ea quæ statim interimunt, & ea quæ tardius interimunt, statuitur. Utrum verò fœmina aut mas venenum lethalius inferat, apud authores disputatur. Nos fidem habemus illis, qui experientiâ edocti, tradunt maris venenum esse perniciosius: quia ratio non repugnat. Hæmorrhous qualem morsum inferat, facile æstimabit, qui sanguinem cum Galeno pro communi partium corporis nostri alimento & fomento caloris nativi habet, ille enim cum per totum corpus, vias tamen consuetas quam inconstuetas, excernatur, procul dubio mortis causa erit, tantum enim caloris quantum sanguinis, tantum vitæ, quantum caloris. Basilisco serpenti magna in necando est rapiditas, ad solum tamen conspectum ejus, vel si audiatur, uti alii volunt, homines interimi, non facile crediderim: si enim solo oculorum intuitu hominem interficit, non equidem video cum *Cardan. l. 1. de venen. c. 16.* quomodo factum sit, ut ii qui ipsum viderunt, ejusque faciem adnotarunt, vel audiverunt, ex quorum postea relatione hujus feræ historiam descripsérunt, incolumes evaserint, præsertim cum tamen parvum sit animal, ut non nisi è propinquo loco conspici possit.

Prognosin Tarantulæ quod spectat, malum periculo non vacat, et si Sennertus ex mille demorsis vix duos interire affirmet, præprimis autem si morsum æstu anni flagrantissimo intulerit, & homini vel jejuno, vel in senectute constituto. Prognosis Amphisbænæ & Scytalæ convenit cum viperarum: Item quoque serpentis miliaris, qui alias

Cenchrus dicitur, & Nicandro Leo appellatur, quod æquè sit ferox & crudelis. Dryinus tantæ venenositatis serpens dicitur, ut non solum morsu hominem enecet, sed etiam Medici ægrotanti medicamenta applicantis manus exco-riet. Imò dicunt eum pravè olere, si quis eum interimat, illoque suo fœtore omnium aliorum odorum, quamvis præstantium, sensum auferre.

Draconum morsus non ita periculoso statuuntur, præprimis in frigidis regionibus. Serpentes Germaniam nostram inhabitantes, licet non tam citò enecent veluti peregrini, morsum tamen lethalem inferunt, ni in tempore ægrotantibus subvenias. De morsu canis quidam tale prognosticum sistunt: si fuerit rabiosus qui momordit, sequenti die demorsi peribunt; si non fuerit, vivent; quod tamen ita simpliciter determinare noluerim; cum experientia confirmet, morsus qui pro deploratis habiti sunt, præter opinionem fuisse sanatos, quosdam verò qui per se lethales non fuere, per accidens tamen tales factos esse, ob Medici scilicet vel Chirurgi & adstantium negligentiā, rerumque necessariarum defectum. Experientia interim fidissima rerum magistra docuit, si medicamenta statim adhibeantur, antequam venenum invalefacat, & cerebrum invadat, demorsum servari posse, & præcaveri ne in hydrophobiam incidat; illa autem si accesserit, vix quisquam evadet, sed moriuntur plerumque in furore. Expertus id magno suo malo *Baldus Juris consultus* dicitur; forte enim à catulo quem in deliciis habebat, in labia leviter morsus, cum illum rabie correptum nesciret, & vulnus ob exiguitatem negligeret, paulò post rabiosus interiit, frustrà tum adhibitis remediis omnibus. Neque verò à morsu tantum canis rabidi funestum istiusmodi periculum

infertur sed & ab aliis animalibus; quin ipse homo homini  
 lupus quandoque est, quod in proverbio alias dicitur; si-  
 quidem rabie correptus, ubi alium momorderit, rabiosum  
 efficit, uti *Galen. l. 6. de loc. aff. c. 5.* ipsaque experientia docet.  
 Neque mirum hoc est, cum & irati hominis morsum, mor-  
 tem non raro secutam *Paus. Egineta l. 5. c. 26. Cels. l. 5. c. 26.*  
 aliquique testentur, cuius etiam nonnulla exempla notatu-  
 digna *Zacut. l. 3. prax. admirand. obs. 84.* proponit. Notan-  
 dum autem, quod hi morsus omnes sint periculosiores, si  
 cordi vel cerebro sint propiores, minus vero, si partes di-  
 stantes occupaverint: si arteria laesa; tunc enim facili ne-  
 gotio venenum ad cor penetrat; si nervus aliquis laesus;  
 nam non solum dolor ingens excitatur, sed & cerebro ve-  
 nenum promptius communicatur, & gravia symptomata  
 excitantur; si vero vena sit laesa, humores corruptiuntur:  
 Minus periculosum si nullum vas sit laesum. Convulsiones  
 his quoque non raro superveniunt: fiunt autem illae vel a  
 puncturâ nervorum eorumque dolore ingenti, vel a mali-  
 gno & venenato vapore partem aliquam nervosam aut ce-  
 rebri membranas vellicante, ad quem expellendum cum  
 natura insurgit, contractionem istam excitat: quod intel-  
 ligi potest ex *Hipp. sect. 5. §. 65.* Quibus sunt cum ulceribus  
 tumores conspicui, si non admodum convelluntur aut insa-  
 niunt: bis vero repente evanescentibus, siquidem posticâ par-  
 te factum sit, convulsiones & tetani accidunt. Et *Galen. art.*  
*Medic. c. 92.* Nervi, inquit, & tendinis punctura, propter  
 sensus vehementiam, & quoniam haec pars principio (id  
 est cerebro) connectitur, prompta est ad nervorum con-  
 vulsionem excitandam, ac tum praesertim cum nihil ex-  
 trorsum exspirat, obcæcato cutis vulnere. Prognosin non  
 venenatorum quod attinet, morsus illi vitae periculum

non minantur, si ritè tractentur, & non magna contusio  
adsit, vel dilaceratio carnis, nullaque ossis fractio: alias  
non spernendi sunt, cum gangræna & sphacelus superveni-  
re soleant. *Salmuth. cent. 3. obs. 35.* ex morsu equi in tibiâ  
Epilepsiam observavit. Morsum lupi non rabidi, sed so-  
lùm irati, malignitatem habere conjunctam *Hild. cent. 4.*  
*obs.* testatur: confirmat id quoque *Schenkius in obs. l. VII.*  
*de venen. animal.* qui similiter luporum licet non rabien-  
tium morsum venenatum probat: sed non satisfacit ratio  
quam affert, quia scilicet in renibus eorum plerumque  
nascuntur serpentes. Et hæc prognosis esto morsum.  
Puncturarum nunc quoque tradenda: minantur autem  
sumimum periculum illæ, si animal quod pupugit, vene-  
nosum. Sic ictus scorpionis exitiosus est, præprimis in æ-  
state, & cum fame premuntur, quod omnibus quidem a-  
nimalibus venenatis commune est; necant tamen alii aliis  
magis, nam octo illorum diversa sunt genera, uti ex Ni-  
candro patet. Dictum quoque id esto de scorpione ma-  
rino, qui ictu suo miserè piscatores sæpè torquet, ut & de  
scorpæna, quæ piscis est littoralis, scorpione multò minor,  
& in dorso solùm spinam eamq; venenatam gestans. Item  
de pastinacâ marinâ; illa licet ( abscisso in cauda radio ) in  
cibum veniat, tamen in caudâ habet aculeum ita morti-  
ferum, ut brevi temporis spatio homines aliaque animan-  
tia ictu perdere possit: Imò sicut *Ælianuſ l. 8. de animal.*  
& 26. scribit, si ad maximam arborem summè virentem a-  
culeum admoveas & defigas, non multò post amittet fo-  
lia. Mellifluæ apes, tantum abest ut ferant solum mel,  
ut iracundiæ quoque prodant fel. Hinc ab apum ictu  
ortam gangrænam observavit *Zacut. l. 3. prax. adm. obs. 83.*

**E**x puncturâ vespæ circa carpum dolorem ingentem & lipothymiam *Hildan. cent. IV. obs. 77.* Sicut ex simili puncturâ circa juncturam mandibulæ ulcus insanabile secutum, idem *obs. 78.* & dolorem horrendum aliaque symptoma ex ictu vespæ secuta, theriacalibus externis & internis curata *River. cent. 3. obs. 88.* Imò quando bestiolæ istæ densiore agmine in hominem involant, illum interficere possunt: sic enim teste experientiâ non solum homines, sed & equos aliaque animalia robustissima interfecerunt.

## CAPUT OCTAVUM *Curationem ostendit.*

**D**um circa curationem versor, mentem meam subit illud Damasceni, *Quibus medemur non esse lapides, neque ligna, neque lutum, neq[ue] corium, sed tenuioris pariter & pretiosioris essentiae opificii Dei, in quo lapsus proclivis quidem, sed admodum periculosus existit, & in plerisque prefertim subtilioribus naturis, sapè ad interitum terminatur.* Summâ ergò openitamur, ne quid vel admittamus vel omittamus, quod cavere possimus. Est autem curatione morsuum & puncturarum præprimis ferarum venenatarum, instituenda in tempore, nullâ interposita morâ, & talis quidem quæ apta est venenum digerere, ac ne in corpus subeat, impedire: occupatis enim semel principibus partibus, remedia frustrâ ferè adhibentur, malumque raro cedit. Cum autem ut supra notatum non unius morsus & puncturæ sint generis, non una etiam omnium potest esse curatio. Morsus non venenati animalium.

robore dentium pollentium, cujusmodi Leo, Ursus, Equus, Canis, adjunctam habent insignem partium mollium contusionem. Cum autem in hoc, attritis cum carnisbus vasculorum extremitatibus, sanguini via pateat, & dolor summus ex continui solutione, attrahat sanguinem, ne tanta superveniat inflamatio, quam excipiat gangrena & sphacelus, illico opera danda, ut sanguinis impetus à parte lœsâ avertatur: Id quod præ cæteris auxiliis promptè præstat Venæsectoria Revulsoria. In parte autem affectâ locum habent vulgo dicta defensiva, quæ sanguinis in partem affectam influxum prohibent, parata ex bolo, terrâ sigillatâ, sanguine Draconis, nucibus cupressi, Gallis, Balaust. fl. ros. rubr. rad. consolid. maj. & similibus: in quorum defectu ~~completum~~ Albumen ovi cum aquâ ros. conquassatum cum stuppis cannabinis usurpatur. Impetu sanguinis averso, discutientia applicanda, ab initio adstringentibus castigata, ne forsitan fiat attractio: deinceps autem sola: ut quicquid P. N. effusum parti inhæret, digestum evanescat. Quod si autem tanta sit contusio, ut spes nulla supersit, discussionem satis proficere posse, hærente in profundo sanguine extravasato, quidam, siquidem locus ita ferat, ad extrahendum adhibent cucurbitulas, & quandoque scarificatas. Si nulla speranda resolutio, superest ut in pus materia extravasata convertatur, locus mundificetur, caro in locum amissæ generetur, tandemque cicatrix inducatur. Interim non peccant qui etiam in his morsibus alexipharmacâ adhibent, cum ex Cornel. Cels. multorumque sententiâ, omnis morsus videatur habere quoddam virus. Morsus autem venenati aliam postulant curationem, quam modò adornamus &

commendamus, non neglectis singularibus & specificis in singularibus quibusdam animantium venenis, quæ experientiâ probata subjungemus.

In hâc autem curatione ad tres collimamus scopos. Primus est ut venenum in tempore evocetur seu extrahatur. Alter ut impediamus ejus commeatum ad interiora: Tertius ut admissum Alexipharmacis expugnetur. Ad primum scopum faciunt tum medicamenta θεριακὰ & ἔληπτα dicta, manifestâ qualitate calore nimirum insigni efficacia, ut sinapi, pyrethrum, cyclaminus, euphorbium, & similia; tum occultâ virtute venenum ad se elicientia, ut ol. scorpionum simpl. & compos. magnum Matthiol. ol. Aranearum Mindereri, ipsorum animalculorum quæ vim intulerunt substantia contrita imposita. (quod enim de scorpione canit Q. Serenus.

*Et cum vulnus atrox incussum scorpius ardens,  
Continuò capit, tunc dignâ cede retusus  
Vulneribusque aptus, fertur revocare venenum.*

Id de majori non sine veneno mordentium & pungentium parte verum est, videatur eâ de re Galen. de Theriac. ad Pison. c. 10.) Theriaca etiam, Mithridatum, Antidotus Matthioli. Et quamvis nonnulli sint, qui theriacam & similia haud imponendam putent, quod venenum intrò compellere credant; eos tamen Galen. authoritas convincit, scribit enim lib. de Theriac. illam, si morsibus & pungituris venenatis anteâ imponatur, antequam venena ad partes nobiles pervenerint, magno præsidio esse: Convincit quoque & ratio eos; theriacæ enim compositionem serpentum caro subit, quæ substantiæ similitudine allicit,

&amp;

& ut magnes ferrum, aut ambra paleas evocat. *Quidam* hirudines apposuerunt, persuasum sibi habentes, illos sanguinem virulentum fugere. *Quidam* admodum laudant scarificationes & cucurbitulas. Sunt qui volatilium corpora divisa imponunt, recenti cruore calentia: Sunt qui podicem gallinæ viventis admovent: Sunt qui pretio conducti ore sugant, ex parte veneno infectâ, venenum, non jejunî, os subinde vino odorifero colluentes, oleum rosa- ceum ore detinentes, & quod fugunt subinde exspuentes, ut notat *Avicenna lib. 4. Canon. fen. 6. tract. 3. c. 1.* Qui hoc, quicquid est operæ, olim præstabant, Psylli vocabantur, nomen accipientes à Libyæ populis, qui Psylli dicti à Rege Psyllo, quibus stupenda ab antiquitate tribuebantur, scili- cet, Ingenitum habere virus exitale serpentibus, ut cuius odore sopiant eos ap. *Plin. hist. Nat. 7. c. 2. 8, c. 24.* Morsos à bestiis sanare ore venenum exsugentes, ipsasque bestias incantationibus demulcere ap. *Plutarch. in Vitâ Catoni min.* Leviora venenata vulnera salivâ curare; periculosiora haustu aquæ, quâ ipsi os colluerant; periculosissima accu- bitu seu applicatione proprii corporis ap. *Aelian. hist. anim. 9. c. 38.* Illos eleganter describit *Lucanus l. IX. Pbar- saliae*

### Gens unica terras

*Incolit à sevo serpentum innoxiam mortu*  
*Marmaride Psylli: par lingua potentibus herbis:*  
*Ipse crux tutus, nullumque admittere virus*  
*Vel cantu cessante, potest. natura locorum*  
*Iussit ut immunes misti serpentibus essent.*

Verum enim verò, an ea quæ præstiterunt olim Psylli, naturalem causam an verò magicam habuerint, dubium remanet. *Ulysses Aldrovandus* (*bistor. serpent.* & *Dracon. l. i. c. i. §. veneni serpentum medeta*) arbitratur, horum præsidiis nullam adhibendam fidem, propterea quod Galenus & ipse attestetur, Marsos populos, qui suâ ætate adhuc extabant, contrà serpentum virus nullam propriam facultatem possedisse, sed quibusdam dolis & vanis commentis universam plebeculam decepisse: quemadmodum hodiè circulatores, qui serpentes & viperas non debito tempore venantur, captisque carnes mordendas objiciunt, ut omni veneno ab ore vacuato, felicius coram populo contreditari possint. Quo minus tamen simpliciter huic sententiae subscribamini, *Celsus* authoritas facit: Ille enim *ita. 5. c. 27.* si cucurbitula non est, homo adhibendus est, qui vulnus exsugat. Neque hercule scientiam præcipuam habent, hi qui Psylli nominantur, sed audaciam usu ipso confirmatam. Nam venenum serpentis, ut quædam etiam venatoria venena, quibus Galli præcipue utuntur, non gustu, sed in vulnere nocent. Ideoque colubra ipsa tutò estur: ictus ejus occidit: Et si stupente eâ (quod per quædam medicamenta circulatores faciunt) in os digitum quis indidit, neque percussus est, nulla in ejus salivâ noxa est. Ergò quisquis exemplum Psylli secutus, id vulnus exuxerit, & ipse tutus erit, & tutum hominem præstabit. Illud interea anteà debet attendere, ne quod in gingivis, palato, aliave parte oris ulcus habeat. Expeditsimuin etiam auxilium est ustio; illa namque uti *Mariib.* in *Comm.* in *Diosc.* *Mercurialis* aliique habent, omnibus venenatis morsibus valde prodest, quod ustio vim veneni

neni domare valeat. Ustione peractâ, crusta celerrimè removenda; sic enim quam citissimè veneno patebit exitus, nam crusta facit ut venenum retineatur, & ad interiora penetret. Sin locus ustioni minus idoneus, aut æger illam, formidans ignem, recuset, caustica & escharotica adhibenda, quâ in re cæteris præstare dicitur argentum sublimatum, unguentis refrigerantibus admistum, quo minus doloris inferat. Imponantur deinde emplastra attrahentia ex Galbano, pice nigrâ, terebinthinâ, aliisque gummosis & resinosis. Pulvis Mercurii in hoc casu valdè commendatur, quia virulentam saniem evocat, nec vulnus tam citò claudi permittit. Ad alterum scopum facere creduntur ligaturæ arctissimæ in parte superiore, constrictis vasis: amputatio ipsius partis læsæ, si quidem talis sit, quæ sine vitæ periculo truncari possit, ut digitus manus vel pedis. Exemplum recenset *Sennert.* l.

*6. prax. part. 5. c. 7.* Ad tertium faciunt alexipharmacum statim propinanda, ut venenum accedens quasi non admittant sed quasi repellant; continuanda, ut illud quod penetrat extinguant, & pravam dispositionem relictam corrigant. Hæc vel simplicia vel composita. *Simplicia Radices Vincetoxici, Angelicæ, Imperatoriæ, Petasit. Scorzonera. Contrayerv. Gentian. Bardan. Carlin. Succis. Dictamn. alb. Valerian. Allium Herb. Succis Scabios. Card. bened. scordium, Ruta, dictamnus Creticus, Galega, Salvia, Basilicum. Flores Tunicæ, Anthos, Calendulæ, Crocus, Ros. Viol. Nymph. Borrag. Bugloss. Semina. Citri. Card. bened. Levist. Basilic. Napi, Conriandri præp. Ace- tosæ. Fructus Nux mosch. Baccælauri, Juniperi, Caric. Nux juglans, Caryophyll. Cubeb. Cardaniom. Pom. Granat.*

nat. Limon. Aurant. Citri. *Corticē Citri* Aurantior. Li-  
 mon. Cinnam. Cass. Lign. Costus. *Ligna Xylo Aloë*, San-  
 tal, Rhodium. *Lac brymæ* Thus, Myrrha, Storax, Benzoin,  
 Camphora. Ex *Animalibus* Cornu Cerv. Unicorn. os de  
 corde cervi, Ebur, Bezoar orient. & occidental. Moschus,  
 Zibeth, Castoreum, oculi cancri. *Terre* sigillatæ, Bolus  
 Arm. *Marina* Corallium, Margaritæ, succinum, Ambra.  
*Lapides* pretiosi, Sapphiri, Granati, Smaragdi, Hyacinthi,  
 Sardæ seu Carneoli. *Fossilia* sulphur. Nitrum, Vitriolum.  
*Preparata* aquæ simplices ex Simplicibus enarratis. Com-  
 positæ, Theriacalis Bezoartica, Bardanæ composita, Car-  
 bunculi, Cordialis temperata, antidotalis alexipharmacæ  
 Matthioli, Stapediana. Elixir vitæ Matth. Propriet. Para-  
 cels. *Syrupi* simplices ex succis vegetabilium : de scordio  
 compositus. *Conseruae* ex herbis, floribus, pulpa fruct.  
*Condita* Scorzoner. Helen. rad. *Cortic.* Citr. Aurant. Nux  
 mosch. fl. Citr. Aurant. *Tabul.* ex succo citri, Berber.  
 Rob. Eboli, sambuci, juniperi, gelatina Corn. cervi, cydo-  
 nior. *Opiate* Theriaca Andromachi, Mithridat. Damo-  
 crat. antidotus Matth. Theriaca cœlest. diascordium Fra-  
 castor. Electuar. d. ovo Maximiliani Imperatoris. Conf.  
 Alkermes, d. Hyacintho. *Extracta* Angelicæ Zedoar.  
 Gentian. Card. bened. scord. Helen. Croci. *Salia vola-*  
*tilia* Cornu C. Viperarum. *Pulvores* Rubeus Pannoni-  
 cus, Saxonius, Bezoarticus officin. Gryseus Cæsaris con-  
 tra pestem, *Species* diamarg. cal. & frig. d. Gemm. calid.  
 & frig. lætific. *Conf.* liberant. Hyacinth. *Acet.* Ros. rubr.  
 Tunic. sambuc. Calend. Rut. de rub. Id. Theriacale *Ol.*  
 scorp. destillata ex Vegetab. *Balsama* ex oleis varia pro-  
 suffitu. Ex designatis scopis facile intelligitur, quare

Doctores in his casibus canonem esse velint, non sanguinem detrahendum, non catharticum, non clysterem, non vomitorium, non balneum, neque aliud quidquam sudoris provocatorium exhibendum, ante triduum à morsu aut puncturâ exactum. Tum autem istis universalibus vacuationibus locuserit, quando à veneno in venoso genere humores labem contraxerunt. Veneno expugnato ad vulneris sanationem ut alias accedendum. Quidam jactant curas magicas, & sunt multi qui schedulas variis vocabulorum barbarorum divaricationibus crucibusque intertextas hominibus vel bestiis devorandas offerunt, qualis est his characteribus signata

† Affara † Schoffara † Affara  
 † Pax † Max † Miaz.

Sigillo equitis Ruperti, ferreō stylō insculptō multi quoque gloriantur se curatos fuisse, & refert *Gokelius de venen. animal.* se homines vidisse curare, qui ad unamquamque inustionem sequentia verba German. recitarent: *Das walt GÖTE und unser lieber Herr St. Ruprecht/ GÖTE Vater/ Sohn und Heiliger Geist.* *Ulysses Aldrovandus de serp. & dracon. c.i.* ex Matthiolo narrat, ad eremitam quendam circa Romam suprantem confluxisse magno numero homines nomine vulneratorum ab anguibus; hunc solitum fuisse interrogare nuncium, num vellet pro paciente remedium sumere; annuentem jussisse, ut pedem denudatum solo collocaret, quem gladii acie circumscribebat, indeque amoto pede, hæc verba in vestigio inscripsisse: **CARO CARUZE SANUM REDUCE REPUTA SANUM EMANUEL PA-**

**RACLETUS**: deinde eodem gladio characteres delevisse, terramque collectam incyathum aquâ plenum infudisse, donec subsideret, aquam postea indusio mundo colatam nuncio propinasse, sicque confessim ægrotum absentem sanatum fuisse. De talibus ut nostram proferamus sententiam, statuimus cum *Ulyss. Aldrovand. l.c.* à talibus quorum ratio reddi nulla potest, abstinendum, tantò magis, cum experientia doceat, quibusdam proficuas esse ejusmodi artes, alios in longè graviora mala præcipitare. Rem superstitionis plenam esse ultrò patet; superstitionem impietatis plenam, Theologi docent. Atque hæc demorsuum & puncturarum venenatarum curatione sufficiant, nunc quæ singularia quædam venena exposcunt subjugendum. Ab Aspide igitur ut denuò initium facimus, in ejus morsu in specie commendatur acetum acerrimum, quod Ægyptii frequenter contrà venenum hoc habent in usu; dandum autem est inquit *Aët. serm. 13. c. 20.* quousque ægri aceti qualitatem circa dextram præcordiorum partem percipient: Hepar enim in demorsis ab Aspide primò ajunt sensu privari. In medicamento sequenti nonnulli talem fiduciam habent, ut non dubitent se mordendos quantumlibet efferæ offerre Aspidi. Capiunt verò folia thapsi barbari, caryophyllatae, leucoji rubri paripondere, quæ in acetō acerrimo & sani hominis urinā bulliant, ad partis læsæ fotum. Nonnulli ejus decocti unc. iii. jejuni hauriunt. Dipsadis morsi ferè convenient quæ reliquorum venenatorum animalium morsibus, præter illa tamen, quia demorsi plurimum bibunt, nec potum per urinas evacuant, diuretica exhibentur, alvus clysteribus aquam eduentibus evacuatur. **Natricis**

mor-

morsui ea auxiliantur remedia, quæ in aliis vulneribus à serpentibus inflictis adhiberi solent. Ad Viperæ morsus *Galen. 2. de antidot. c. 14.* hæc epithemata tradit R. sagapeni, piperis, liquor. Cyrenaic. Opopan. part. æqual. arida pulverisentur, liquores in acetō solvantur, misceantur. f. Emplastr. Vel R. Centaur. Aristoloch. rad. peuced. pond. par. pulverisentur & aceto ac Galbano excipientur. Costum veneni viperini bezoar esse, scribit *Santes Ardoyn. de venen. l. 6. c. 1.* exhibatum à 3B ad 3j cum vino absinthite. Coagulum leporis exhibet in hoc morsu *Dioscor. l. 6. c. 47.* Ab hæmorrhoo demorsi et si raro perveniant ad pristinam sanitatem, & salutis spes in angusto sit, tentandum tamen aliquid, & primo quidem statim membrum læsum si fieri potest, abscindendum, deinde utendum etiam communibus remediis supra relatis: Tunc medicamenta exhibenda, quæ vim habent sanguinis fluxum sistendi, qualia esse possunt tormentill. burs. pastor. bol. armen. terra sigill. lap. Hæmatit. &c. quibus tamen semper aliquid theriacæ adjiciendum, nec alexipharmacæ negligenda, nam licet vim sanguinem fundendi habere videantur, quia tamen sanguinis illud pro fluvium ab Hæmorrhoi veneno proficiscitur, veneno per alexipharmacæ victo, etiam sanguinis effusio cessabit. Adversus Basilisci morsum, plurimi nulla præscribunt remedia, quod tam subito hominem enecet. *Aëtius serm. 13. c. 13.* vanum & superfluum duxit, auxilia contra eum referre. Erasistratus tamen monente Sennerto Castorei 3j cum vino vel papaveris liquore exhibendam monet, cuiquoque suffragatur Dioscorides. Tarantulæ cura, posteaquam usitata remedia, quæ in aliorum animalium venenatorum mor-

su supra nominata sunt, fuerunt adhibita, præcipue existit  
 in musica, uti omnes etiam Doctores testantur. Non au-  
 tem omnibus idem sonus competit; nam alii ad hanc, alii  
 ad illam harmoniam saltare incipiunt, idque tam diu con-  
 tinuant, donec amplius nequeant. Neque etiam omnes  
 ab uno instrumento quoque excitantur, sed alii fidibus o-  
 pus habent, alii instrumentis magno strepitu aërem qua-  
 tientibus, cujusmodi sunt tympana, tubæ &c. Alii, quod  
 tamen rarum, non nisi bombardarum explosione aguntur  
 in saltus. Curatio Amphibænæ & scytales eadem est  
 quæ Viperarum, uti *Diosc.* l. 6. c. 48. afferit, petatur igitur  
 ex supradictis. Eadem quoque Dryini morsus curatio;  
 in specie tamen commendatur origanum, trifolium &  
 marrubium, vel eorum succus, radix item aristolochiæ,  
 nec non glandes cujuscunque quercus concisæ & cum vi-  
 no generoso sumptæ. Morsus Cenchræ, Draconis, & ser-  
 pentum in Germaniâ nostrâ habitantium quomodo sint  
 curandi, satis ex iis quæ hactenus dicta sunt patebit. De-  
 morsis denique à cane rabido modo sequenti subvenien-  
 dum. Venenum his, quæ supra in universali curatione  
 enarrata sunt, evocandum, & quidem citò quantum fieri  
 potest: frustra enim adhibentur remedia, quæ tardè in hoc  
 casu adhibentur. Vulnus diu apertè servandum, & non  
 solum determinatè usque ad diem 40. sed usque ad ter-  
 tium l. 4. mensem, imò per integrum interdum annum:  
 observationes enim Doctorum testantur, quosdam ab  
 illis demorsos, post annum demum & longius tempus in  
 hydrophobiam incidisse, Oxalis trita & imposita ejus-  
 demque decoctum magnarum in hoc casti dicitur virium.  
 Pili item canis rabidi vulneribus impositi, Cinerem can-

crorum fluviajilium mirificè contra illorum morsus prodesse, *Galen. l. 11. simpl. medic.* scribit ; exhibet verò ejus duo cochlearia, cum pulveris radicis *Gentianæ cochleari* uno, in vino generoso. Similes vires veteres alyssso assignabant, verum cum difficile sit decernere, quānam hodiè planta alysson veteribus dicta fuerit, nihil certi statuere possumus. Demersio in mare non est certum contra rabiem remedium ; per multi inquit *Paræus l. 20. c. 8.* se in mare demersere, nec tamen inde adversum rabiem quidquam adjumenti sensere. Præsentaneum & à multis seculis probatissimum est in hoc casu cauterium actuale : Ustionem enim superficialem nequaquam sufficere, exempla testantur *Hild. obs. 86. cent. 1.* A purgatione & venæ sectione Authores abstinent, nisi fortè malum nobiles præcipuasque partes corporis occupaverit ; tur corpus satis largè & abundè purgant, balneis & iis omnibus, quibus pori aperiri possunt, utuntur. Potio Lüchtenbergica à multis viris doctis valdè celebratur : verum an intra novem dies, uti affirmant, venenum hocce tam exitiosum extirpare potens sit, valdè dubitat Hildanus qui empiricum istum processum periculosum affirmat : cui quidem *Daniel Danielis in epist.* ita respondet : Illam Hildane toties & tam felici successu comprobatam potionem, cuius ocularem testem me offero, illæsam nec maculutam volo : plurimi namque adhuc supersunt, qui ex usu illius potionis iam multis elapsis annis nunc belle vivunt &c. Scorpius qui læsit contritus & superlocum impositus, ipse sibi remedio est, tanquam injuriæ vindex & perniciem quam intulit corpore suo luens, ut supra ex poëta notavimus. Ejus oleum quoque auxilio est, unde incolæ Italæ illud

diu noctuque ad manus habent, eoque plagam illinunt.  
*Aëtius serm. 13. c. 19.* medicamentum sequens mirabile  
 pharmacum nominat: Rutæ sylvestr. Drachj. terit in ace-  
 to, ceræ unc. j. & resin. pini quadrant. liquefacit & affuso  
 oleo quasi unit & imponit; scribit & ibidem cochleam,  
 hortulanam præcipue cum testâ tritam & plagæ imposi-  
 tam confestim dolorem sedare. Lac ficulneum in vul-  
 nus instillatum præsenti auxilio percussis adesse *Diosc. l. 6.*  
*c. 44.* refert. Internè alexipharmacæ & quæ veneno ad-  
 versantur adhibenda. Quæ jam dicta sunt de curatione  
 puncturæ scorp. terrestris, locum quoque habent in cura-  
 tione ictus marini scorpionis, item in ictu pastinacæ mari-  
 næ, & scorpænæ, nisi quod adhuc *Plinius l. 28. c. 11.* contra  
 pastinacam coaguli leporis vel hædi vel agni 3j prodesse  
 scribat: & *Aëtius serm. 13. c. 37.* furfures aceto coctos & pro-  
 cataplasmate impositos. Contra puncturas verò vespa-  
 rum & apum remedio est è vestigio ictum suxisse vehe-  
 mentius, suctuque infixos aculeos revulsisse, quod si sic re-  
 velli nequeant, locus, si nihil impediat, incidendus est.  
 Nonnulli partem læsam in calentem aquam demergunt  
 & per integrum horam fovent. Nasturtium tritum & im-  
 positum dolorem sedare dicitur. Idem præstabit simus  
 bubulus in oleo & aceto maceratus, calensque impositus.  
 Sunt qui animalia trita quæ pupugerunt imponunt, veluti  
 in punctura scorpii: Ultimò, cum tutius sit morbum  
 præcavere, quam eundem curare, nonnulli medici doce-  
 re conantur, qua ratione quis possit prohibere, ne anima-  
 lia morsibus nocere possint, de quæ re vid. *Sant. Ardoynus*  
*Hayabbas* aliique. Hoc verum, quod, qui corpus suum suc-  
 co malvæ cum oleo mixto obliniverint, à puncturis vespa-  
 rum & apum immunes sint.

Et

Et hæc sunt L.B. quæ pro ingenio & tempore in chartam conhicere volui & debui: quod si palato tuo non arrideant omnia, ne quæso lividus statim & mordax sis, doctus enim meliora facile & libenter sententiam meam mutabo; cum non errare, sed in errore perseverare, turpe sit. Finio interim in nomine Salvatoris nostri, cui pro concessâ haec tenus in studio medico gratiâ debitas gratias ago, agamque.

*Dum vivam, vitamq; per hec mortalia ducam.*

---

## COROLLARIA De MORSIBUS.

I.

Paucissimi moriuntur absque morsibus.

II.

Ex levissimis morsibus contigit hominem quandoque mori.

III.

Morsus fieri potest absque effusione sanguinis.

IV.

¶(40)¶

IV.

Morsus incurabiles curandos  
fuscipere Medicus debet.

V.

Morsus Gallinæ non est morsus.

VI.

Argentina ad curationem mor-  
suum facere potest.

VII.

Psylllos qui imitantur, illi summo  
se se exponunt periculo contra  
præcepta Dei.

VIII.

Non omnia animalia à rabidis  
vulnerata, in rabiem aguntur.

F I N I S.

¶(0)¶